

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Inuidia h
cum fonte primo

Inuidi color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, ←
membra frigescent, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor.

Nam cum inuidi mentem liuor excruciat, bonum quod appetit,
sibi ab alio adimi aut restringi metuit.
Qui ergo liuoris peste plene carere desiderat,
illam hereditatem diligit, quam coheredum numerus non angustat.

Gregorius in quadam omelia.

→ De quo nimirum scriptum est: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.*
Nam cum deuictum cor liuoris putredo corrueit,
ipsa quoque exteriora indicant quam grauiter animum uesania.
← Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur
et membra frigescent, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor;
cumque in latebris cordis crescens absconditur odium,
dolore caeco terebrat conscientiam uulnus inclusum.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5.46 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.282,
ll.24-32).

Difficile namque est ut hoc alteri non inuideat,
quod adipisci alter exoptat; quia quicquid temporale percipitur,
tanto fit minus singulis quanto diuiditur in multis;
et idcirco desiderantis mentem liuor excruciat quia hoc quod appetit,
aut funditus alter accipiens adimit, aut a quantitate restringit.
Qui ergo liuoris peste plene carere desiderat,
illam hereditatem diligit, quam coheredum numerus non angustat;
quae et omnibus una est et singulis tota; quae tanto largior ostenditur,
quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 5, 46 (CCSL 143, M. Adriaen ed., pp.282-3,
ll.55-63).